EXERCITATIO PHILOLOGICA
DE

IRIDE

EJUSQUE

EMBLEMATE

Ad Gen. IX. 12—17.

QUAM
FAVENTE SUMMO NUMINE
PRÆSES

CHRISTIANUS LUDOVICUS SCHLICHTER,
HIST. S. ET ANTIQ. PROF. PUBL. ORD. NEC NON ALUMNORUM
REFORM. IN ACAD. REG. EPHORUS,

ET
RESPONDENS

JO. GOTTLOB GVILIELMUS DUNCKEL,
COTHEN. ANHALTINVS, S. THEOL. C.

IN AUDITORIO ILL. LYCEI REGII
PLACIDAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTENT
Ad diem Veneris, qui erit XIV. Aug. Horâ X -- XII.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
EX OFFICINA HENDELIANA,
MDCCXXXIX.

58700 (24)

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

SERENISSIMO.
PRINCIPI. AC. DOMINO.
DOMINO.
CAROLO. GEORGIO. LEBRECHT.
PRINCIPI. HEREDI.
ANHALTINO.
DVCI. SAXONIAE. ANGRIAE.
ET. WESTPHALIAE.
COMITI. ASCANIAE.
DYNASTAE. BERNBVRGI.
ET.
SERVESTAE.
RELIQVA.

DOMINO. SVO. CLEMENTISSIMO.

PARENTVM. SERENISSIMORVM. DELICIO.
PATRIAE. SPEI.
CIVIVM. GAVDIO. ET. SOLATIO.

DE. NATALI. INSIMVL. DIE.
PROXIME. INSEQVENTI.
HVMILLIME. GRATVLATVRVS.

FVSIS. AD. DEVM. PRO. SALVTE. IPSIVS.
PARITER. ATQVE. ETIAM. TOTIVS.
DOMVS. SERENISSIMAE.
INCOLVMITATE. PERPETVA.
PRECIBVS.
QVO. EX. VBERRIMO. DIVINI. NVMINIS. PENV.
TAMQVAM. EX. LIMPIDISSIMO. BONORVM.
OMNIVM. FONTE. PROVENIANT. BONA.
DERIVETVR. SALVS.
PROPVLLVLET.
FELICITAS. AVREA.
CONSTANS. VIRIVM. ROBVR.
VITA. LONGISSIMA.

PRIMITIAS. HASCE. ACADEMICAS.

IN. CVLTVS. DEVOTISSIMI. ARRHABONEM.
PIETATISQVE. SVMMAE. TESSERAM.

SVBIECTISSIMA. MENTIS. DEVENERATIONE.

D. D. C. Q.
IOANNES. GOTTLOB. GVILIELMVS. DVNCKEL.
RESPONDENS.

QVarta fere meſſis poſt luſtrum labitur vnum,
Adfluit ipſa dies multas memoranda per oras,
Quae TE, quae nobisque dedit, lucique ſerenae,
SPES PATRII, SPES CARA, SOLI, CELSISSIME PRINCEPS.
Illa mihi quoties animo VENERANDA recurſat

Et PATRIS & MATRIS CELSISSIMA
STIRPIS IMAGO,
In ſublime feror, videor mihi linquere terras,
Et celſum peragrare polum; vox mellea Pindi
Et mea Calliope dum mulcent cantibus aurem,
Haereo perculſis animis, modulamine vincor,
Inque TVAS rapior laudes, famamque futuram;
Vsque adeo pendent infixi pectore vultus!
Heu mihi! quam laetus canerem incluta nomina
plectro,
Duraturorum genus ALTO A SANGVINE *PA-*
TRVM,
Atque ora & frontem dulci bonitate coruſcam,
Nil mortale modis loquerer, tenueisue myricas;
Aſt citharae iacuere meae, denſaeque nigranti
Puluere delituere diu, neruique remiſſi,
Quos ego ſolicito numeris intendere velox,
Pars ſtrepitant, pars rauca ſonant. Nunc ſu-
ſcipe, PRINCEPS,
Chartarum monimenta, TIBI quem ſacro, libellum;
Sic pietas ſubmiſſa iubet, reuerentia mandat,
Quo tum ſolemnis colerem NATALIS honorem,
Tum votis poſſem comitantia iungere vota.

Non

Non ego, quod ſeris monimentum permanet aeuis,
Erigerem; excelſis virtus TIBI ſola propinquum
Nubibus attollat templum, TIBI marmora ponat
Atque aras, TEque aeternet, TIBI proroget aeuum,
Qua loca cuncta patent; tantum feſtinus ad aram
Accedam, dextra pateras & liba tenebo
Mollibus euinctas ſertis, tum laetus in ignes
Fundam ſtridentes votis libamina dictis,
Tura dabo, precibus patula Deus adnuat aure.

Cum quondam varios picto Thaumantias Iris
Aere diffundit pluuia rorante colores,
Campus ouat, nemus omne viret, tum floſculus vda
Surgit humo & glebas tenero cacumine rumpit,
Floret palma, cedrus ſublimis, nobile germen;
Quin omnes mirantur eam, plauſuque ſonanti
Exultant pariterque ſenes & prima iuuentus,
Si decus eximium ſpectent arcumque venuſtum:

Gratia ſic ſuperis diuina e ſedibus adſit
TEque ſuper, CELSAMque DOMVM, ne contrahat atros

Horri-

Horrida tempeſtas coelos, ne ſplendor auitus
Deſinat, exemtis ne corruat vndique fulcris
Koetha; ſed vt dubiis careat ſecura periclis.
Floreat AVGVSTVS, FRIDERICAque; viuite LEBRECHT,
Ac ERDMANN, quondam patriae fulcimina rerum,
Floreat omne Genus praeclaro ſanguine iunctum!
Quo creſcant opibus ciues, rurisque colonus
Pinguia proſcindat fumantibus arua iuuencis,
Mireturque decus campi, miretur ariſtas,
Dum vineta iuuant, viridi dum ſomnus in herba.
Quam ſtupeat largo nec deſit copia cornu.

I. N. D. N. J. C.

DE

IRIDE, EJUSQUE EMBLEMATE.

SECTIO I.

ARGUMENTUM.

§. 1. Vocis קשת quæ radix? Iris in literis S. & profanis arcus appellatur. §. 2. Pſ. LXXXIX, 38. dicitur teſtis, & quare? Iridis encomia in ſcriptis Patrum. כ elliptice omittitur. §. 3. Vox Iris unde? Variæ res nomine iridis inſigniuntur. §. 4. Iris dicitur Thaumantias & Thaumantis. Nuntia Deorum. Dea. Fibula nimborum. §. 5. Iridis deſcriptio. Ejus cauſa eſt Sol, vel luna. Irides nocturnæ rariores. §. 6. Figura iridis circularis. B. LUTHERUS & alii totum circulum vidiſſe dicuntur. Media circuli pars tantum conſpicitur, & in monte iris ſemicirculo major. Arcus Scythici magni, & quidam alii. Lunam dimidiatam referunt. De forma antiqua literæ C. pro Σ. §. 7. Colores Iridis varii, unde Pythagoras cum terra Nili compoſuit. Nos ſex asſerimus. §. 8. Apoc. IV, 3. illuſtratur. Σ olim per Ζητα ſæpe ſcribebatur. Smaragdorum viror celebris. Scythici ſunt optimi. Splendor eorum maximus. Sardius eſt ruber. An idem ſit חשמל Ezech. I, 4. 27. Jaſpis variis coloribus gaudet. Quænam optima? Colores viridis & flavus aliquando iidem ſunt. §. 9. Apparitio iridis ſignum gratiæ divinæ. Inſcriptio elegans Jac. MASENII. §. 10. Iris pluviam & ſerenitatem nuntiat. Admittere pro portendere. Nihil certi exinde colligi poſſe, quidam volunt. §. 11. Iris an ante diluvium jam apparuerit? Affirmatur, & argumenta contraria ſolvuntur. Διατιθεσθαι paciſci.

§. I.

IRIS, *omnium meteororum elegantiſſimum, & naturæ miraculum*, judice Cl. G. B. DE SAINT ROMAIN, Medico *Pariſienſi*, in *phyſica* cap. XVII. in lingua *Sancta* appellatur קשת, quæ vox, ſive a radice *Chald.* קשת *jaculatus, ejaculatus eſt*, ſive ex lingua *arab.* a verbo, quod *curvus, incurvus fuit* denotat, in 2. conjug. *incurvavit arcus more*, in 5. *armavit ſe arcu* derivetur, *arcum* proprie ſignificat. vid. *Jo. Abrab.* KROMAYERUS in libro de *uſu linguæ arabicæ* lib. II. cap. XLI. v. 19. p. 224, & *Jo.* SIMONIS in *arcano formarum* p. 347. ob externam nimirum, quam præfert ſpeciem, ut infra docebitur *. Eadem appellatio Scriptoribus *latinis* haud infrequens eſt. *Arcum cæleſtem* dicit SUETONIUS in *vita AUGUSTI* cap. XLV. *ingens arcus* audit VIRGILIO lib. I. in *georgicis* v. 380. *Cœruleus arcus* PROPERTIO lib. III. eleg. 5 alia ejusmodi loca, ubivis facile obvia, & quæ *Ludov. de la* CERDA, *Sam.* PITISCUS, aliique commentatores, larga manu ſuppeditarunt, ut taceamus. Addatur *Adrian.* TURNEBUS *adverſ.* lib. XIX. cap. XX. p. m. 374; nec omitti debet verſus ille elegantiſſimus NASONIS metam. lib. XI. v. 590:

IRIS, & arquato *cælum* curvamine *ſignans.*

id eſt, *figurato curvamine* ad ſimilitudinem *arcus*, ut Ven. WALCHIUS bene interpretatur.

§. II. Pſ. LXXXIX. 38. arcus noſter emphatice *teſtis* vocatur; licet enim alii Interpretes vel *Deum*, vel *Meſſiam*, intelli-

* Num קשת a קשה *durum eſſe* derivari poſſit, variis rationibus pro & contra examinat *Jac.* GOUSSETUS *comm. linguæ hebr.* f. 763. ſq.

telligere malint, nos tamen iis calculum potius addimus, qui *iridem* hoc titulo eximio inſigniri exiſtimant **, ſicuti *Solis* & *Lunæ* ibidem mentio fit. Eſt autem *teſtis* fœderis illius, quod olim Deus clementiſſimus poſt diluvium cum Noacho ejusque poſteris de non immittendo diluvio univerſali, & de gratia ſua hominibus usque ad conſummationem ſeculi conſervanda, ſolenniter pepigit. Μνημόσυνον & *infallibile ſignum divinæ promiſſionis* recte dicit *Dan.* FESSELIUS, Vir Cl. lib. V. *adverſ. Sacr.* cap. VII. n. III. *** Neque obſtat omiſſio particulæ כ, in membris antecedentibus additæ; hanc enim ejus ellipſin eſſe longe frequentiſſimam, Interpretes eruditi jamdudum demonſtrarunt *. Quam emphatice vero titulus hic *iridi* noſtræ competat, res ipſa loquitur. Conferri omnino merentur, quæ de *tabulis legis Sinaiticæ* tanquam *tabulis fœderis & teſtimonii* Commentatores doctiſſimi, nec non *Campeg* VITRINGA *obſerv. Sacr.* lib. III. cap. I. § VII. & *Jo. Chriſtoph.* WICHMANSHAVSEN diſſ. de *tabulis fœderis prioribus* p. 69. ſqq. erudite diſſeruerunt.

§. III. Scriptoribus *græcis* & *latinis* arcum noſtrum *iridem* appellari, ex ARISTOTELE, DIONE, OVIDIO, & pluribus abunde conſtat; hinc HIERONYMUS apud Cl. TURNEBUM recte ſcribit: *conſuetudo græci latinique ſer-*

 monis

** Ita ſentiunt *Sebaſt.* SCHMIDIUS, *Mart.* GEIERUS, alii, apud *B. Jo. Henr.* MICHAELIS *annotatt.* ad hunc locum, nec non *Jo. Henr.* URSINUS *analect. Sacr.* Part. I. p. 311.

*** Similia *Iridis* encomia ex ſcriptis *Patrum* diligenter collegit *Sal.* GLASSIUS apud *Mich.* BAUMANNUM *analect. typ.* p. 111. & p. 1318. add. Cl. URSINUS loc. cit. p. 399.

* v. g. *Sam.* BOCHARTUS *hieroz.* Part. II. lib. II. cap. XVI. pag. 248. *Sam.* SCHELGUIGIUS diſſert. *de ſtatua ſalaria* Gen. XIX, 26. p. 19. Ven. *Chriſt. Bened.* MICHAELIS *de ellipſibus Hebr.* p. 43. & celeb. EWALDUS diſſ. *de pulte colocynthidum, farina per Eliſam condita* p. 8.

monis Irin *vocat*, *quæ per multicolorem arcum ad terras deſcendere dicitur.* Nimirum ab Εἴρειν *nuntiare*, quod *pluvias denuntiet*, interprete EUSTATHIO. Vel, quæ noſtra eſt conjectura, a ſignificatione *extrahendi*, quâ verbum Εἴρειν apud HERODIANUM gaudet, ſicuti ἐξείρειν apud ARISTOPHANEM aliosque, teſte SCAPULA in *lexico*; arcum enim demiſſis in terram cornibus aquam *elicere*, *extrahere*, in nubes, opinione vulgi receptum erat, ut infra videbimus. Cœterum & res aliæ vel a ſimilitudine arcus, vel a diverſis coloribus, nomine *Iridis* inſigniri ſolent. v. c. *circulus oculi* circa pupillam & album *medius*, *gemma* quædam *verſicolor* apud PLINIUM, nec non *herba aromatica* ob florem vario colore conſpicuum, & *galerita*, avis criſtata, a *galero*, pileo rotundo, ſic dicta, de quibus ſingulis TURNEBUS lib. XIV. cap. VII. p. m. 257. a. & lib. XX. cap. VI. p. 388. *Philippus* PICINELLUS lib. XII. *mundi ſymbol.* n. 133. 154. paſſim. *Simon Frid.* FRENZEL diſſ. ſing. de *Iride* §. 7. Witteb. 1660. & B. HILLERUS *ſyntagm. hermen.* p. 34. & p. 40. multa attulerunt. Subjungi poſſunt, quæ de *unguento irino* habet Cl. VERWEY cap. I. de *unctionibus veterum* p. 366. collect. *Roterod.* nec non Excell. & Celeb. *Jo. Henr.* SCHULZII diſſert. de *vera indole & egregia virtute* radicis Iridis Florentinæ, Halæ 1739. Sed hæc ad ſcopum noſtrum non faciunt, unde iis uberius recenſendis non immoramur.

§. IV. Memorari quoque merentur tituli inſignes, quibus Scriptores alii admirandam *iridis* noſtræ *pulchritudinem* prædicare ac depingere ſolent. OVIDIO dicitur *Thaumantias*, metam. lib. IV. v. 479.

Læta redit Juno: quam cœlum intrare parantem
Roratis luſtravit aquis THAUMANTIAS IRIS.

Nec non THAUMANTIS, id eſt, *admirationis filia*, interprete

prete *Sabino*, CLAUDIANO lib. III. de *raptu Proſerpinæ* v. 1.

Juppiter interea cinctam THAUMANTIDA nimbis
Ire jubet. **

Αυγην του ηλιϛ dicit PYTHAGORAS apud ÆLIANUM *Var. Hiſt.* lib. IV. cap. XVII. ſi vera ſit emendatio GESNERI a *Jo.* SCHEFFERO ibidem p. m. 288. comprobata: *Speculum Solis* vel *Lunæ* appellat APULEJUS de *mundo* p. 727. *Nuntia Jovis*, *Junonis* & *Palladis* HOMERO aliisque *Poëtis* audit, docentibus URSINO loc. cit. & Cl. WORMIO *antiq. hebr.* lib. I. p. 106. imo pro *Dea* habitam fuiſſe, obſervat Ill. *Ezech* SPANHEMIUS obſervatt. ad *Callim.* p. 456. Neque omittenda eſt appellatio *fibulæ nimborum*, quâ eandem elegantiſſime vocat CYPRIANUS apud *Caſp.* BARTHIUM *animadv.* ad *Claud.* p. m. 922. & COINTUS apud URSINUM p. 400. unde forſan confirmari poterit elegans conjectura EWALDI, quâ phraſin biblicam: *& iris erat ſuper caput ejus.* Apoc. X. 1. deſumptam eſſe ſuſpicatur a more veterum loquendi, qui Diis, Regibus ac Ducibus *nimbos* circa caput tribuerint. *embl. Sacr.* Part. I. p. 189. ſed hoc de loco mox plura.

§. V. Eſt autem *Iris* meteoron admirandum, variis coloribus diſtinctum, atque in aëre conſpicuum, quoties radii Solares in nubem aquoſam incidunt, vel ut celeb. WIDEBURGIUS, Prof. *Jenenſis*, ſcribit, quando radii Solis incidunt in guttas pluviales, indeque poſt varias refractiones ad oculum Spectatoris reflectuntur. *Specim. I. math. bibl.* p. 71. Cauſa efficiens

** *quod* ſcilicet *inter omnia fere meteora nullum fere majori admiratione ſit dignum*, ut bene ſcribit *Jo.* MEY *phyſiol. S.* Part. I. p. 52. conf. quæ *iridis* de *pulchritudine* monent VALESIUS *philoſ. Sacr.* cap. LXXVIII. p. 402. & *Caſp.* CALVOERIUS ad *Jo.* RAY *gloriam Dei* p. 202. add. *Jo. Rudolph.* RODOLPHI in *theoria ſacra Iridis*, ſeu diſſ. *de fœdere Noachico, ejusque ſacramento, nempe arcu cæleſti* §. XVII. *Bernæ* 1705.

ciens igitur eſt *Sol*, imo interdum *Luna*. Bene APULEJUS: *Irin arcum eſſe ajunt, quando imago* Solis *vel* Lunæ *humidam & cavam nubem denſamque ad inſtar ſpeculi colorat.* Hinc non modo *die*, ſed etiam *noctu* eam conſpici tempore plenilunii, ARISTOTELES, aliique *Philoſophi*, antiqui & recentiores, conſentiunt, licet *lunares rarius* contingant. vid. præter URSINUM loc. cit. p. 312. FRENZELIUS quæſt. I. PICINELLUS lib. II. n. 277. *Simon* MAJOLUS in *colloquiis phyſicis* p. 39. & cel. HAMBERGERUS cap. I. de *Iride* §. IV. Novum *iridis lunaris* teſtimonium extat in *Actis liter. SUECIÆ.* A. 1724. p. 518, & nuperrime eandem obſervavit doct. CARPOVIUS, Prof. *Roſtoch.* uti uberius docetur in denen Hamburgiſchen Gelehrten Berichten d. 13. Jan. A. 1739. p. 27. *Joſephum del* MEDICO, Philoſophum *Hebræum*, ex inſula *Candia* ortum, *iridis lunaris* in libro מעין חתום *fons ſigillatus* dicto, §. 25. quoque meminiſſe, idem Vir doctus n. 39. d. 22. Maj. p. 344. commemorat.

§. VI. *Figura iridis* eſt *circularis* ob figuram Solis ei oppoſiti, unde vero ſuo aſpectu non *arcum*, ſed *coronam* recte vocat *Campeg.* VITRINGA comm. ad *Jeſaiam* tom. II. f. m. 692; licet viſus noſter ad mediam circuli partem, quæ in noſtri cœli hemiſphærio eſt, pertingat. *Martinus* quidem LVTHERUS *integrum* ſibi *circulum* Wittebergæ aliquando viſum fuiſſe, alicubi memorat, ſicuti etiam SENECA, GERALBINUS & PICUS MIRANDULANUS apud FRENZELIUM quæſt. II. idem teſtantur; ſed *integro* circulo *iridem* unquam apparere, alii cum ARISTOTELE rectius negant. Certe *rarum in terris ſpectaculum, & inter prodigia numerandum*, URSINUS merito appellat. Optime *Jo.* MEY, Vir præſtantiſſimus: *Nunquam ſuperſtat hemiſphærio niſi circuli medietas, quaſi pars ſit circuli majoris, atque altera pars*

ſub

ſub terra ſit in altero hemiſphærio: cujus quidem cauſa eſt, quod fiat ab oppoſito Sole velut in terram deſpectante, ac ſecundum peripheriam refractione radiorum in aëre denſo reddente circulum, qui terram in medio contineat. Quo fit, ut quo Sol ſit humilior atque occaſui propinquior, eo ſit arcus pars, quæ ſpectatur, ſublimior: & quo ſuperior Sol, eo arcus demiſſior. Nimirum eſt illi oppoſitus, ac velut per totum cælum diſtentus, phyſiolog. Sacr. p. 52. Interim ſi quis in edito montis vertice fuerit, tunc iridem poſſe videri *majorem ſemicirculo*, res ipſa loquitur. conf. Cl. RODOLPHI §. XIX. Cœterum hanc ob formam ſemicircularem *Iridem* appellari *arcum*, ſupra vidimus. Obſervari inprimis meretur flexura *arcuum Scythicorum*, quales THEOCRITUS *ευκαμπεα τοξα incurvos arcus* appellat, tantæ magnitudinis, ut *lunam dimidiatam* aut *ſemicirculum* complecterentur, teſte MARCELLINO. Et OPILIO apud ATHENÆUM figuram literæ C pro Σ *** arcui Scythico aſſimilat, docente *Jo.* POTTERO lib. III. *archæolog. græc.* cap. IV. p. 455. tom. XII. theſauri *Gronoviani*. *

§. VII.

*** Utraque forma hujus literæ in monumentis veterum occurrit; utrum vero forma Σ, an ejus loco C, antiquior ſit, Viri docti diſputant, quibusdam cum SALMASIO & SCALIGERO pro priori, aliis cum *Ezech.* SPANHEMIO pro poſteriori acriter pugnantibus. vid. *Chriſt. Gotl.* SCHWARZIUS in *expoſitione veteris inſcriptionis de Æſculapio & Hygea, Diis Φιλανθρωποις* ad Tit. III. 4. §. VII. *Fulvius* URSINUS append. ad *Petr.* CIACCONIUM de *triclinio* p. 254. ſqq. *Jac.* PERIZONIUS diſſ. III. de *variis antiquorum nummis* p. 273. edit. *Daventr. Caſp.* BARTHIUS animadv. ad *Claudian.* p. 1019. & *Laur.* BEGERUS tom. II. theſauri *Brandenburg.* f. 584.

* add. auctores, qui de forma arcuum *Scythicorum* plura congeſſerunt, excitati a B. *Theod.* HASÆO in *Biblioth. Brem.* tom. V. p. 292. in notis, cum quibus conferri poſſunt arcus prægrandes *Perſarum* & *Æthiopum* apud *Sam.* BOCHARTUM *geograph. Sacr.* lib. IV. cap. XXVI. f. 266. ſq.

§. VII. *Colores iridis* eſſe plures, aſpectus ocularis nobis facile monſtrat; hinc canit OVIDIUS lib. 1. metam. v. 270.

Nuntia Junonis varios *induta* colores
Concipit Iris aquas.

Et lib. XI. v. 589. ſq.

-- -- *induitur velamina* mille colorum.
Iris.

Conſentit VIRGILIUS Æneid. lib. IV. v. 700. ſq.

Ergo Iris, *croceis per cælum roſcida pennis,*
Mille *trahens* varios *adverſo Sole* colores,
Devolat, & *ſupra caput aſtitit* -- -- --

Αἰολ☉ Ἶρις *arcus variegatus* audit Poëtæ apud Ill. BARTHIUM ad *Claudianum*, alia ejusmodi teſtimonia ut taceamus. Bene Vir Cl. de SAINT ROMAIN: *Meteorum hocce fornicis elegantis* omni colorum genere variegati *inſtar apparet.* Verum in numero horum colorum exacte determinando Philoſophi & Theologi, antiqui ac recentiores, valde diſſentiunt, unde quidam plures, alii pauciores obſervare ſolent. vid. Cl. RODOLPHI §. XXI. Duos tantum, *viridem* ſcilicet & *rubrum*, poſt alios *Campeg.* VITRINGA & *Wilh. Ern.* EWALDUS agnoſcunt, ſed plerique Eruditorum tres, *rubrum, viridem* & *cæruleum* ei aſſignant apud BAUMANNUM loc. cit. p. 1318. Atque hos *primarios* & *principales*, ex quibus reliqui ſecundarii ortum ſuum trahant, FRENZELIUS aliquoties memoratus dicit. *Tres* quoque placent THEOPHILO AMELIO, qui tamen colorem *flavum* pro *cæruleo* ſubſtituit, nec non Jeſuitæ doctiſſimo, P. REGNAULT *entretiens phyſiques* tom. III. p. 173. *Plures* vero deprehenderunt alii. *Quatuor* ALCIMUS apud URSINUM:

Purpu-

Purpureum de nube trahit, de Sole *coruſcum*,
De cœlo *rutilum*, de terra ſumit & *atrum*.

Magis clare HARENBERGIVS, Vir celeberrimus: *cæruleum*, *viridem*, *Sinopicum*, qui multum ex rubro trahit, & *minaceum*, ſeu *profundum rubrum*, in *Muſ. Brem.* vol. II. p. 304. *Quinque* animadvertit HAMBERGIVS, Philoſophus inſignis, *purpureum* ſcilicet, *cæruleum*, *viridem*, *flavum* & *puniceum*. Sunt denique, qui *ſeptem*, *violaceum* ſeu *purpureum*, *indicum*, *cæruleum*, *viridem*, *flavum*, *aureum* & *rubrum* numerant cum *Jo. Joach.* LANGIO in *elementis philoſophiæ naturalis* Part II. cap. I. §. LXVII. ſed cum color *aureus* & *flavus* minime diverſus ſit, vid. *Jo.* ARNTZENIUS in tr. de *tinctura & colore comarum* p. 103. nos *ſex* tantum colores agnoſcimus, in *iride* noſtra valde conſpicuos, & qui relationem ad *Meſſiam* ejusque *virtutes* varias peculiarem habuerunt, ut infra docebitur. Cœterum ob varios hos colores *Iridem* cum *terra Nili*, multiplici florum colore picta, compoſuit PYTHAGORAS apud ÆLIANUM *Var. Hiſt.* lib. IV. cap. XVII. ubi vid. KUHNIVS p. m. 288.

§. VIII. Neque obſtat locus Apoc. IV. 3. ubi *Iris* ſolum *Smaragdum* referens memoratur; *iridem* enim ibi exhiberi *extraordinariam*, quæ phyſicam non exacte refert, ex textu ſacro facile cognoſcimus. *Extraordinariam* quoque dicit *Jo.* THADDÆUS in *conciliatorio biblico* p. m. 12. Sunt quidem Viri docti, qui omnes *iridis* naturalis colores ſtudioſe in ea quærentes, addere ſolent colores lapidum *Jaſpidis* & *Sardii*, quorum mentio eadem commate injicitur, ſicuti v. g. *Wilh.* MOMMA, Theologus eximius, vel in ſola *Jaſpide* quatuor, *viridem*, *cæruleum*, *purpureum* & *rubrum*, deprehendit **. Verum ſi ipſa verba Spiritus S. accurate perpendamus, color *Smaragdi-*

B *nus*

** orat. inaugur. de *apparitionibus Ieſu Chriſti.* Medioburg. 1676. apud *Thom.* CRENIUM *faſce* IV. p. 21.

nus, in *iride* illa conſpicuus, a coloribus *Sardii* & *Jaſpidis*, quibus ipſemet Filius hominis, in throno ſedens, fulgebat, omnino diſtingui debet. Nec ſine ratione ſublimiori *iridem* illam *unius coloris* fuiſſe, edocet Vir doctus apud *Herm.* WITSIUM *Oecon. Fœd.* lib. IV. cap. VII. §. XXVII. ſed hac de re infra. Eſt autem ὁ Σμάραγδος *Smaragdus* *** gemma *viridis*, quâ nihil omnino *viridius* datur, teſte PLINIO. *Viroris graminei*; hinc eleganter ERASMUS in *confabulatione domeſtica* p. 17.: *Ego vero tibi locum oſtendam, ubi nec nemoris umbram*, nec pratorum Smaragdinum virorem *deſiderabis*. Eundem ad *virorem* inſignem reſpicit PHÆDRUS lib. III. fab. XVIII. NITOR SMARAGDI *collo præfulget tuo*, nec non PISIDAS colores Pavonis enumerans apud *Giſb.* CUPERUM *obſervatt.* lib. II. cap. XVI. p. 242. add. *Caſp.* BARTHIUS *animadv.* ad *Claudian.* p. 1203. Quam maxime celebrantur *Smaragdi Scythici*, quibus nihil jucundius, nihil utilius vident oculi, judice *Solino* cap. XV. & qui tantum a cœteris diſtant *Smaragdis*, quantum *Smaragdi* a cœteris *gemmis*, teſte PLINIO lib. XXXVII. cap. V. vid. *Hadr.* RELANDUS *diſſertatt. miſc.* Part. I. p. 31. Quanto in pretio lapis hic in *Syria* & alibi fuerit, diſcere licet ex teſtimoniis, quæ præter PICINELLUM & HILLERUM *Sam.* BOCHARTUS *hieroz.* Part. II. lib. V. cap. VII. Ill. BARTHIUS ad *Claudian.* p. 821. nec non *Franc.* RUEUS, medicus *inſulanus*, tract. de *gemmis* lib. II. cap. IV. diligenter adduxerunt. *Splendor* ejus tantus eſt, ut ipſæ feræ eo perterreſiant, teſte PLINIO apud *Simon.* MAJOLUM in *colloquiis phyſicis* p. 611. unde

*** Vocem græcam Σμάραγδος non raro per Ζῆτα ſcribi, deprehendimus, cujus rei cauſa eſt mos veterum, ex quo litera Z in quibusdam vocabulis locum literæ S. frequenter occupavit, uti erudite docet Cl. *Mich.* ROSSAL, Prof. *Groninganus*, obſervat. de *Chriſto per errorem in Chreſtum mutato* p. 68. ſq.

unde radii *Solares* nomine *Smaragdi* non raro inſigniuntur, v.g. ab OVIDIO *metam.* lib. II. v. 24.

Conſiſtitque procul, neque enim propiora ferebat
Lumina, purpurea velatus veſte ſedebat
In ſolio Phœbus claris *lucente* Smaragdis.

ubi vid. Ven. WALCHIUS, nec non cel. BROUKHUSIUS ad *Propertium*, ab ipſo laudatus; conf. *Decimæ Sacræ* obſerv. XXVII. §. IV. Ab hoc diverſi ſunt duo lapides reliqui, *Sardius* & *Jaſpis*, qui brevi ante in viſione noſtra memorantur. *Sardius* enim eſt coloris *rubri* vel *ſanguinei*, & tanquam lapis rarior in magno pretio habebatur, docentibus præter VITRINGAM, HILLERUM & EWALDUM, *Sam.* BOCHARTO *hieroz.* Part. II. lib. V. cap. VII. f. 696. ſqq. *Franc.* RUEO lib. II. cap. VI. & *Jo. Henr.* URSINO *analect.* Part. I. p. 372. ſq. Eundem colorem *rubrum rutilantem* latere ſub voce חשמל Ezech. I. 4. 27. quidam Interpretes judicant, licet alii *chryſtallum* intelligere malint, forte, quod in *Sardio* ſit nitor & rubor ſubalbicans, talis propemodum color, qualem habet unguis, qui carnem tegit, judice *Wilh.* MOMMA ſupra laudato. vid. præter HILLERUM BOCHARTUS Part. II. *hieroz.* lib. VI. cap. XVI. integro, *Bernh.* LAMY de *tabernaculo* & *templo* f. 168. 428. *Biblioth. Brem.* tom. III. p. 746. & *Muſ. Brem.* vol. II. p. 646. Addi poſſunt, quæ de voce ἤλεκτρον *electrum* in *Decimis Sacr.* obſ. XXI. §. III. p. 196. in notis jam diſſeruimus. Alter lapis, *Jaſpis* dictus, variis, ut antea vidimus, coloribus gaudet. *Cæruleum*, ſeu aëri ſimilem, URSINUS, *viridem* & *purpureum* ex PLINIO & PSELLO VITRINGA, alii alios, memorant. VIRGILIUS quoque *jaſpidem* dicit *fulvam*, id eſt, *viridem* lib. IV. Æneid. v. 261. ſicuti poſtea *flavam olivam* lib. V. v. 309. nam

colores *viridis* & *flavus* ſæpius inter ſe commutari, atque alter pro altero poni ſolent. vid. *Jac.* TOLLIUS ad AUSONII *Buſſulam* v. 10, & *Jo.* ARNTZENIUS loc. cit. cap. III. §. VII. p. 50. Celeberrima vero *jaſpis* aſſeritur, ſi ex *viridi purpureum* quiddam complexa, *albâ* præcingatur *lineâ*, teſte RUEO lib. II. cap. I.

§. IX. *Scopus iridis*, in nubibus cœli collocatæ, hic erat, ut homines Deo reconciliati ſignum *gratiæ divinæ* perpetuum haberent. Erat enim ſignum *fœderis*, Deum inter & homines ſolenniter facti, quo mundum ex ſuperſtite Noachi ſobole inſtauratum, impium utcunque pariter futurum, aquis ultricibus ſe non amplius perditurum, gratioſiſſime pollicitus eſt. Hinc Pſ. LXXXIX. 38. *teſtis* emphatice audit. conf. ſupra §. II. Breviter, ſed nervoſe *Jac.* GOUSSETUS in lexico: *Arcus ille Dei notat pacem, quia* 1) *curvatura eius non ſpectat terram,* 2) *caret nervo, qui ademptus indicat, Dominum nolle jaculari, pugnare.* Elegans quoque eſt inſcriptio apud *Jac.* MASENIUM, *Jeſuitam*, quam a ſcopo noſtro haud alienam, in gratiam lectoris noſtri apponimus:

Factus es certus de placato Numine,
Viſo videlicet arcu.
Caruit hic ſagittâ, quia exhauſerat jam pharetram Deus.
Intenditur hic in cælum, ne reformidet tellus.
Mira res, cum ſit ille nubium partus, tutatur tamen
A fulmine irati Numinis.
Ubi hic arcus cæleſtis incumbit, mirus odor
Afflatur e terra:
Scilicet tunc datus, in fœderis ſignum,
Cum eluta jam tellus eſſe deſiit fœda.

Part. II. *artis novæ de argutis Inſcriptionibus* p. m. 291. edit. *Colon.* 1649. (8).

§. X.

§. X. Ex dictis ſimul patet, *iridem* eſſe *nuntiam pluviarum* imminentium: *cum obnubilavero nubem ſuper terram, tum apparebit arcus* &c. Gen. IX. 14. Crediderunt etiam veteres, arcum demiſſis in terram cornibus aquam haurire & bibere; hinc PLAUTUS in *Curculione: Ecce autem* bibit arcus, *pluet credo hercle hodie!* Et PROPERTIUS lib. III. eleg. V. *Cæruleus pluvias cur* bibit *arcus* aquas? vid. *Ludov. de la* CERDA ad VIRG. *georg.* lib. I. v. 380. f. 246. imo pluviam *portendere*, unde TIBULLUS lib. I. eleg. IV.

Quamvis prætexens picta ferrugine cœlum
Venturam admittat *imbrifer arcus aquam.* *

Interim ſi pluvia præceſſerit, *ſerenitatem* quoque ſignificat, nuntians, apparatum pluviæ adeſſe non adeo magnum, Solem denuo oriri, atque nubes diſpelli. Alii alias obſervationes phyſicas ſubjungunt. v. g. ſi a meridie oriatur, magnam vim aquarum portendi, ſi circa occaſum, pluviam leviorem, ſi ab ortu, ſerenitatem, interprete SENECA, cujus locum integrum jam adduxit Ven. WALCHIUS ad OVIDII *metam.* p. 52. Vel: ſi ad dextram Solis conſpiciatur, bona ſignificari, ſi ad ſiniſtram, mala, judice ARTEMIDORO apud URSINUM loc. cit. p. 399. Quicquid vero de ejusmodi obſervationibus ſit ſentiendum **, utrumque, ſive *pluvia*, ſive *ſerenitas* cœli per iridem in cœlo apparentem portendatur, promiſſioni divinæ apprime congruum erit, utpote, quæ in fide

* Sunt quidem Viri docti, qui cenſent, *admittat* idem eſſe, ac *accipiat*, *hauriat*, ſed non male per *portendere* cum MURETO interpretatur *Adrian.* TURNEBUS *adverſ.* lib XXIX. cap. XXXI. p. m. 656 ſicuti & apud PLAUTUM aliosque hoc ſenſu occurrit. vid. FABER in lexico.

** Nihil certi ex apparitione *iridis*, neque quoad *pluvias*, neque quoad *ſerenitatem*, multi cum PLINIO exiſtimant. vid. MAJOLI *colloquia phyſica* p. 39. & RODOLPHI aliquoties citatus §. XXII.

confirmare nos voluit, ne metu diluvii alicujus fruſtra percellamur.

§. XI. Prius, quam ad *myſterium iridis* progrediamur, memorari adhuc meretur quæſtio nobiliſſima, num *arcus* ille *cæleſtis* jam ante diluvium a primis mundi initiis extiterit, vel an poſt illud demum ortus fuerit? *Poſterius* tueri conantur CHRYSOSTOMVS, ALCVINVS, alii, ex recentioribus *Jo. Bapt.* HELMONTIVS V. Cl. teſte *Jo.* GARCÆO, Theologo *Brandenburgico*, apud *Georg. Caſp.* KIRCHMAIERVM exerc. de *arca Noæ* cap. III. §. II. Sed GARCÆVM CHRYSOSTOMI non meminiſſe, neque de ſententia ALCVINI, Epiſcopi Andegavenſis, ſatis conſtare, monet *Thomas* CRENIVS, cujus in *faſce* IV. exercitatio *Kirchmaieriana* recuſa legitur. Interim non deſunt, quibus hæc ſententia valde placuit, inprimis, qui lubrica hypotheſi, quam *Thomas* BVRNETVS, *Anglus* ille famoſiſſimus, de conditione telluris *antediluvianæ*, & inſecuta ejus per immiſſum diluvium mutatione in medium protulit, mirifice delectantur. Nuper eandem amplexus eſt *Caſp.* ABEL, Vir doct. in denen Hebräiſchen Alterthümern p. 81. In genere Viri docti provocare ſolent ad ſilentium codicis Sacri, qui iridis mentionem ante diluvium nunquam faciat. Urgent præterea *novum ſignum* in *novo fœdere* requiri, neque fœdus hoc admiraturos fuiſſe, vel veritatem ejus facile credituros homines ex arca egreſſos, ſi Deus ſigno antiquo id obſignaſſet, alias ejusmodi objectiones *** levioris omnino momenti ut taceamus. Verum ecquid

*** Sic *quidam* provocant ad participium נותן v. 13. non attendentes, eundem actum v. 17. in præterito נתתי exprimi; imo verbum hoc nihil aliud infert, quàm quod Deus arcum in ſignum fœderis conſtituerit, licet

quid nos cogit, ut *iridem* poſt tempora diluvii demum ortam aſſeramus? Cum enim cauſæ illæ naturales, ex quibus *Iris* hodie oriri ſolet, guttulæ nimirum aqueæ, atque fractio radiorum Solarium, etiam ante diluvium jam extiterint, nos nulli dubitamus, quin arcus admirandus quoque ante diluvium in aëre conſpicuus fuerit, licet forſan homines antediluviani eum non ſatis attente obſervaverint, relationis fœderalis, quæ poſt diluvium demum acceſſit, plane ignari. Imo licet *iris* in hiſtoria diluvii prima vice memoretur, eam tamen non ante viſam fuiſſe, minime ſequitur, ſicuti pluvia tempore diluvii delapſa non fuit prima, licet nulla alia ante eam memoretur. Conferantur, quæ contra falſam ejusmodi argumentationem recte monuit *Godofr.* VOIGTIVS, Rector olim *Hamburgenſis*, in *Thyſiaſteriologia* ſive libro: de *altaribus veterum Chriſtianorum* cap. X. §. II. p. 151. Optime *Herm.* WITSIVS, Theologus illuſtris: *Quæ* naturalia *ſunt iridi*, ante diluvium *quoque fuere:* ſed vis ſignificandi, & promiſſiones obſignandi *ex inſtitutione divina illi ſuperacceſſit. œcon. fœd.* lib. IV. cap. VII. §. XXIII. Atque hoc ſenſu *Marc. Frid.* WENDELINVS, Theologus *Anhaltinus*, *iridem* dicit *ſignum viſibile*, *cujus ſignificatio per verbum declaranda prius fuerit.* lib. I. *Theologiæ Chriſtianæ.* cap. 20. p. 403. add. RODOLPHI loc. cit. §. XVIII. & *Jo. Henr.* HOTTINGERVS diſſ. de *ſolenni legis prælectione, quovis ſeptimo anno repetita.* coroll. V. Præterea ſignum *novum* utique vocari poterat, licet jam antea per tot annos, quibus relationem ejusmodi fœderalem non habuit, ſæpius apparuerit; ſicuti res aliæ, in ſignum fœderis a Deo conſtitutæ in ſacra-

licet jam antea extiterit. Non male Græci utuntur verbo διατίθεσθαι, quod eſt *paciſci*, unde διαθήκη, quod idem cum συνθήκη a συντίθεσθαι. conf. *Jo.* DRUSIUS ad hunc locum, *Herm.* WITSIUS *œcon. fœd.* lib. I. cap. I. §. IV. & *Thom.* CRENIUS *faſce* II. p. 206.

ſacramentis V. & N. T. jam antea in rerum natura extiterunt. Denique animus pii Noachi, ejusque poſterorum, egregie in fide confirmabatur per ſignum hoc in nubibus cœli conſpicuum, eadem ratione, ſicuti poſtea David de victoria futura ſecurus redditus per *ſuſurrum venti*, cacumina mororum commoventis, & *fluctuationem foliorum*, II Sam. V. 24 I Chron. XV. 15. quale quid ſine dubio jam ſæpius antea viderat. Sufficiebat verbum Dei, ſignum hoc ſolenniter conſtituentis, cui tanquam Deo fœderato, fallere unquam neſcio, fidem reverenter habuerunt. Uberius argumentum hoc præter KIRCHMAIERVM excusſerunt *Salom.* DEYLINGIVS Part. I. *obſervatt. Sacr.* obſ. VIII. p. 37. ſqq. & B. *Jo. Franc.* BVDDEVS *Hiſt. Eccl. V. T. Period.* I. Sect. II. p. 153. ſeq. quibus addi merentur *Jo. de* MEY Part. I. *phyſiolog. S.* p. 52. HAMBERGERVS cap. IV. FRENZELIVS quæſt. IV. *Jo. Andr.* SCHMIDIVS in *ſtricturis ad opera ſelecta* HARDVINI p. 7. & WIDEBVRGIVS *ſpecim.* I. *math. bibl. quæſt.* XXXI. p. 71. ſqq.

SECT. II.

DE IRIDIS EMBLEMATE.

ARGUMENTUM.

§. 1. Iridis myſterium variis argumentis adſtruitur. Fœdus Noachicum fuit typicum. Res illuſtres ſunt typicæ. אות, σημειον, *typus.* Judæis Iris eſt typus Meſſiæ. §. 2-3. Chriſtianorum variæ ſententiæ de myſterio iridis. §. 4. Nos cum aliis typum Meſſiæ dicimus. §. 5. emblema Meſſiæ pulchritudinis & dignitatis regiæ. Gentilibus Iris eſt emblema imperii. Gen. XLIX. 12. illuſtratur. Unctio Regis *apud* Judæos facta ad figuram literæ O. Iris emblema Ægypti. Signum crucis Ægyptii valde amarunt. B. Virgo lunæ cornibus cingi ſolet ut Regina. Nimbi Deorum & Principum frequentes. Arcus inſigne regium. §. 6. arcus emblema ſermonis & Doctorum Eccleſiæ.

ſiæ. Color flavus olim erat regius. Viridis ſignum dignitatis regiæ & Sanctitatis in Oriente. Non apud Græcos & Romanos. §. 7. Colores Iridis ad Sacerdotium Chriſti a nonnullis referuntur, ab aliis ad gratiam divinam. §. 8. Nos ad ſex qualitates Meſſiæ referimus. Color cœruleus emblema ſapientiæ, conſilii. Vela cœrulea gentilium bonum ſignum. Color ruber in veſtibus Heroum. Aurum emblema cognitionis & ſapientiæ. Color viridis ſymbolum ſanctitatis & timoris Domini. Nimbus emblema pietatis. §. 9. Jeſ. XI. 2. non ſeptem, ſed ſex qualitates Meſſiæ recenſentur. Numerus ſenarius apud gentes magnæ auctoritatis. §. 10. Apparitio iridis ſymbolum adventus Meſſiæ. Iris plane pallida memoratur. Nox & nix emblem. malorum. Pſ. CXXI. 6. illuſtratur. Rores in Oriente aliquando noxii.

§. I.

I*Ridem* noſtram rei ſublimioris imaginem fuiſſe, ſequentibus conficitur argumentis:

1) totum *fœdus Noachicum*, ipſemet *Noachus*, ſacrificium Deo oblatum, ac circumſtantiæ aliæ, ad *fœdus novum*, cum populo Dei in Eccleſia N. T. aliquando erigendum, reſpectum ſuum habuerunt. conf. Jeſ. LIV. 9. ibique Cl. VITRINGA. *.

2) Meſſias in pandectis V. & N. T. *iride* cinctus emphatice repræſentatur, qua de re mox plura.

3) Quæcunque res *illuſtres*, & quæ animum oculosque noſtros mirifice percellunt, in Theologia *emblematica* pro imagine rei longe præſtantioris merito habentur, ſicuti in rebus *typicis* idem canon apud B. RAMBACHIUM cœterosque obtinet.

C 4) *Ar-*

* add. *Jo.* COCCEJUS *exc. gemar. Sanh.* p. 377. *Herm.* WITSIVS lib. IV. *œcon. fœd.* cap. VII. §. XVIII-XX. B. LAMPIUS *myſt. fœd. grat.* Part. II. p. 827. ſeqq. & exerc. noſtra de האדם ad Geneſ. VIII, 21. quæ in *decimis Sacris* p. 525. ſqq. recuſa legitur.

4) *Arcus* noſter non ſine emphaſi appellatur אות, græce σημειον, quæ voces cœteroquin *typum* deſignant, ſicuti etiam *ſacramenta*, in quibus ſignum aliquod externum rei ſignatæ ſymbolum eſſe ſolet, eodem nomine inſigniuntur. conf. Rom. IV. 11. & vid. B. LAMPIUS, alii, in tract. de *panibus facierum* Part. II. p. 72. in notis jam excitati.

5) Accedit conſenſus fere unanimis *Judæorum* & *Chriſtianorum*, qui in meteoro illo illuſtri ſublimius quid diligenter quæſiverunt. *Adventum Meſſiæ non prius expectandum eſſe, donec* arcus, coloribus ſplendidis ornatus, in *mundo apparuerit*, aſſerunt in *Sohar* p. 53. col. 2. & paulo ante p. 52. col. 3. ad ipſum *Meſſiam*, qui ſub nomine *Metatron* ibi venit, diſerte applicant. vid. *Jo. Juſtus* LOSIVS de *Hebræis veteribus*, Chriſtum SS. ſcopum *ſtudioſe quærentibus* p. 45. *Schechinam*, quod nomen Meſſiæ frequenter eſſe ſolet, ſub *arcu* illo latere, dicunt in *faſciculo myrrhæ* ad Gen. IX. docente Cl. RODOLPHI §. 23. imo nomen יהוה *iridi* inſcriptum eſſe, certo perſuaſum ipſis eſt, unde ex ſingulari in Meſſiam reverentia oculos ab ea, quoties apparet, avertunt, quaſi indigni, qui eam aſpiciant, obſervantibus *Jo.* MEY in *phyſiolog. Sacra* p. 53. & *Salom.* GLASSIO apud Cl. BAVMANNVM *analect. typ.* p. 111. qui tamen Viri docti hoc Judæorum aſſertum ad ſomnia & ſuperſtitiones eorum male referunt, cum locutio hæc nihil aliud innuat, quam *arcum* eundem eſſe cum *Angelo fœderis*, Duce Iſraelitarum in deſerto oberrantium optimo, cui nomen יהוה inſcriptum fuiſſe, Moſes, Servus Dei, Exod. XXIII. 21. diſerte teſtatur.

§. II.

§. II. Mirum ergo valde eſt, & olim & hodie non deeſſe *Chriſtianos*, qui vel nullum plane, vel ſaltem meteoro illi illuſtri non ſatis congruum myſterium in *iride* noſtra agnoverint. Huc ſpectant non modo *philoſophi*, qui phœnomenon illud ſoli naturæ tribuunt, & nullam, cur talis arcus fiat, cauſam aliam facile admittunt, ſed etiam quidam *Theologi*, qui his vel illis cogitationibus valde jejunis atque omni fundamento deſtitutis nimium indulgent, neglectis melioribus, quæ ad verum myſterii altioris ſenſum eruendum egregie nos ducunt. Farraginem exemplorum qui cupit, PICINELLVM conſulat, aliosque, quorum ex lectione fugitiva veritatem judicii noſtri facile agnoſcet. Nec omitti debent, quibus *iris* ſignum *judicii divini*, & *præteriti* & *futuri*, tantum exhibere videtur, mundum ſemel aquis periiſſe, & inſtare aliam ejus deſtructionem, ſcilicet per ignem. vid. *Jo. Georg.* WALCHIVS ad OVID. *metam.* lib. IV. v. 479. MAJOLVS loc. cit. p. 39. & B. BOTSACCVS *allegor. Sacr.* n. 1629. p. m. 595.

§. III. Qui in ſymbolo hoc ſcrutando altius aſcendunt, *myſterium SS. Trinitatis* in arcu illo deprehendiſſe ſibi videntur, cum *iris* ſit *una*, & tamen *tricolor*, trinosque ſuos colores per refractionem radiorum Solis in nube efficiat &c. Ita ex *veteribus* judicat BASILIVS M. *epiſt.* 43. ad *Gregorium* NYSSENVM, cui ex recentioribus calculum addunt WALTHERVS apud *Baumannum* loc. cit. p. 111. nec non PICINELLVS lib. II. *mundi ſymbolici* n. 272. cujus ex judicio myſterium hoc ex arcu cœleſti citra œdipum dignoſcitur, unde ei, tribus coloribus diſtincto, hæc lemmata addidit: ET VNVM SVNT. VNO LVMINE TRINVS. NVLLVS ALTERO POTIOR. Alii *iridem* in genere ut ſymbolum *gratiæ divinæ*, quam Deus in œconomia gratiæ in Chriſto filio ſuo dilecto illuſtriſſimo modo exhibuerit, pie contemplantur

cum *Franc.* BVRMANNO, *Herm.* WITSIO, *Campeg.* VITRINGA, plures ut taceamus. Eandem ſententiam a *Nic.* GüRTLERO in *vocibus typico-propheticis* & Cl. RODOLPHI §. 23. 24. comprobatam, uberius exornare annifus eſt *Theoph.* AMELIVS in der Erörterung der ſchwereſten Schrifft-Stellen A. T. tom. I. p. 1058. ſqq. Aliam viam ingreditur B. LAMPIVS, *iridem* ſymbolum *Eccleſiæ* eſſe, variis argumentis & analogiis eximiis demonſtraturus loc. cit. p. 834. ſqq. Sunt denique, qui figuram *baptismi* dicunt cum BOTSACCO & aliis, apud BAVMANNVM p. 1318. Verum hæc explicatio poſtrema ſubtilior & longius petita nobis videtur, unde pauciſſimos ad aſſenſum ſine dubio coget.

§. IV. Noſtro quidem judicio *arcus cæleſtis* fuit ſymbolum ipſius *Meſſiæ* mediatoris, qui pacem Deum inter & homines feliciſſime reſtituturus erat. Hic eſt *filius hominis*, circa quem erat *ſplendor*, qualis eſſe ſolet *Iridis* Ezech I. 28. inſidens in throno, quem circumdabat *iris*, aſpectu ſimilis *ſmaragdo* Apoc. IV. 3. *Angelus fortis*, ſupra cujus caput *iris* vere erat Apoc. X. 1. ſicuti gentiles *Junonem iride cinctam* finxerunt, docente VRSINO p. 312. Hanc ſententiam cum B. AVGVSTINO, aliisque Eccleſiæ antiquæ Doctoribus, amplectuntur WALTHERVS, VRSINVS, BAVMANNVS & plures, qui non pauca egregia, & pietatem ſingularem ſpirantia, ſubinde attulerunt. Recentiſſime eundem arcum ad *Meſſiam* noſtrum tranſtulit *Wilh. Ern.* EWALDVS, Vir præſtantiſſimus, Part. I. *embl. Sacr.* exerc. V. in qua de *iride circa caput Angeli* ex profeſſo agitur. Interim ſpicilegium haud exiguum nobis relictum eſſe, lector candidus ex attenta obſervationum noſtrarum lectione facile cognoſcet.

§. V. *Pulchritudo* illius meteori admiranda in memoriam nobis revocat ſummam *Meſſiæ pulchritudinem*, quæ in literis

teris Sacris celebrari ſolet. v. g. Gen. XLIX. 12. Cantic. I. 16. V. 10. & alibi. **. Cum ea arcte conjuncta eſt *dignitas Meſſiæ* varia, quam arcus cœleſtis non uno modo adumbravit. *Iridem* aſpectu vero *coronam* eſſe, ſupra §. VI. vidimus. Eſt ergo ſymbolum illuſtre ejus, qui in literis Sacris *Rex* frequentiſſime appellatur. Loca ipſa B. LAMPIUS *exerc.* ad Pſ. XLV. p. 74. diligenter collegit. ***. In ſcriptis gentilium quoque *iridem* emblema *imperii* eſſe, variis ex teſtimoniis abunde conſtat. Super caput OCTAVII AUGUSTI, urbem intrantis, *orbis Solis curvatus æqualiter atque in colorem arcus rotundatus veluti coronam tanti mox Viri capiti imponere conſpectus* eſt, teſte VELLEJO lib. II. cap. LIX. *Circulum ad ſpeciem cœleſtis arcus* SUETONIUS cap. XLV. appellat. vid. VITRINGA ad *Apoc.* IV. 3. & ex eo AMELIUS tom. I. p. 1059, nec non URSINUS p. 312. Forte huc referri etiam poteſt dictum PYTHAGORÆ, quo *iridem Nili terram* ſymbolice appellavit apud ÆLIANUM *V. H.* lib. IV. cap. XVII. Sicuti alias ſignum *crucis*, in ſacris Ægyptiorum ſæpius adhibitum, ejusdem *regni* ampliſſimi *potentiam*, in literis ſacris & profanis valde celebratam, innuere ſolet. Lege ſodes exerc. noſtram de *cruce*, *apud Judæos, Chriſtianos & Gentes ſigno ſalutis* cap. III. § 2. ſqq. Certe apud ÆGYPTIOS nihil fere occurrit, cui non *circulare* aut *ſphæricum* quidpiam fuerit adjectum, ju-

 dice

** ad priorem locum, ubi *ſplendor oculorum præ vino fulgens* memoratur, vid. *Edmundi* CASTELLI oratio de *lingua arab.* p. 82. collect. *Kapp.* & *Henr.* SCHARBAU *obſerv. S.* Part. III. obſ. VI. de *pulchritudine Meſſiæ* in genere autem *Bernh. van* SANDEN diſſ. de *pulchritud. J. C.* Regiom. 1711. & LAMPIUS exerc. ad Pſ. XLV. p. 102. ſqq.

*** apud Judæos *unctionem* Regis factam fuiſſe ad figuram literæ O, *coronæ* non abſimilis, obſervat *Jo.* BUXTORFFIUS *catalect. philologg. theologg.* p. 143.

dice FELLERO apud PAULLINUM in libro de *candore* p. 71. Ægyptios ſecuti ſunt *Chriſtiani* mediæ ætatis, qui *Mariam*, matrem *Jeſu Nazareni*, tanquam *reginam*, creſcentis *lunæ* cornibus cingere conſueverunt, docente *Nic.* MEYERO comm. de *ſtatuis & coloſſis Rolandinis* p. 58. Baſileæ 1675. & rec. Halæ 1739. Eadem ex ratione Gentiles Diis atque Principibus terræ *nimbos*, quos *lucem divinam* SERVIUS ad *Virgilium* interpretatur, frequenter tribuerunt, ut dignitas ipſorum ſumma aliis conſpicua redderetur. Sed de *nimbis* plura habent *Jo.* BEHMIUS, cœterique, a Cl. EWALDO §§. III. IV. jam adducti. *. Cœterum eandem *dignitatem regiam IRIS*, ſub figura *arcus* in hæmiſphærio cœli noſtri conſpicua, eleganter exhibet. Certe Principes Perſarum aliorumque populorum *arcum*, veluti *inſigne regium*, ſecum ferebant, ubi vel in publicum prodirent, vel ſolenniter compellandi eſſent, teſte DIONE apud VITRINGAM ad *Apoc.* VI. 2.

§. VI. *Regiæ dignitati* duas alias Interpretes quidam ſubjungunt, *Prophetæ* nimirum & *Sacerdotis*, quas ex emblemate vel ipſius *arcus*, vel colorum variorum, in *iride* conſpicuorum, elici poſſe autumant. *Arcum* emblema gerere *ſermonis humani*, luculenter docet *Joſ.* BARNESIUS ad *Euripid.* Jon. v. 255. & in codice S. *arcus*, unde ſagittæ emittuntur, ſignificat *Doctores* Eccleſiæ, quorum ex ore tela prodeunt, animis adverſariorum Chriſti alte infigenda. conf. *Zach.*

* add. *Ludolfus* KUSTERUS ad *Ariſtoph. aves* p. 194. *Jo. Alb.* FABRICIUS *cod. apocr. N. T.* tom. II. p. 598. in notis, *Caſp.* BARTHIUS animadv. ad *Claudian.* p. 340. & p. 390. *Gisb.* CUPERUS *obſerv.* lib. II. cap. XVI. p. 241. ſeq. *Franc.* PAULLINUS de *candore* p. 71. ſeq. & *Chriſt. Gotthold.* WILISCH diſſ. qua Νωδια veterum ex monumentis exponit p. 22. ſq. Lipſ. 1717. Cultu religioſo dignis caput *radiatum* tribui, obſervat Ven. *Jac.* ELSNERUS ad 2 Cor. III. 7. p. 141.

Zach. IX. 13. & *Apoc.* VI. 2. ubi vid. VITRINGA. **Verum** hæc obſervatio longius petita videtur, qualis & illa eſt, quando munus Meſſiæ *propheticum* in eo deprehendunt, quod ſicut *Iris* pluviam & ſerenitatem aëris prædicit, ita Meſſias læta atque triſtia, præmia & pœnas, pro diverſa temporum conditione populo ſuo annuntiet. *Colores iridis* ſi ſpectemus, quidam eorum omnino tales ſunt, qui cœteroquin *dignitatem regiam* in Theologia emblematica depingere ſolent. *Purpuram*, Regum in veſtibus undique conſpicuam, ne memoremus, color *flavus* apud *Chinenſes* eſt plane *regius*, cœterisque interdictus, quem ſi quis alius in uſus proprios adhiberet, perduellis habebatur, niſi forſan ſanguine *regio* ſit prognatus, teſte TRIGAUTIO apud *Jo.* SPENCERUM de *legibus Hebræorum* f. 171. add. BIBLIOTH. BREM. tom. VII. p. 990. ſq. & Cl. VRIEMOET *miſcell. philol.* p. 8. ſq. Eodem colore *Regem* diſtingui apud *Malæos*, & *viridi* filios *Regis*, docuit nos *Hadr.* RELANDUS, Vir elegantiſſimus, Part. III. *diſſert. miſcell.* diſſert. XI. de *linguis inſularum Orientalium* p. 70. *Viridis* color quanto in pretio apud *Arabes* fuerit, vel exinde conſtat, quod *Principes* ipſorum tentoria habuerint *viridi* ex linteamine exſtructa, teſte *La* ROQUE apud Rev. *Jo. Herm.* GRONAU diſſert. de *tentoriis Kedar* ad Pſ. CXX. 5. §. XLVI. qui eodem de colore legi vult *Hadr.* RELANDUM lib. II. de *religione Muhamedana* cap. XLI. Perſæ & Turci quanti eum faciant, indicabimus verbis LEONCLAVII: *Tegumenta vero capitum hæc Tatarica* viridis *in univerſum* coloris *ſunt, quo ſingulari quodam* jure *ſive* privilegio *ſe uti adſerunt omnes propterea, quod ortam a propheta gentem univerſam glorientur. Quippe non utuntur apud* Turcos *&* *cœteros* Mahumedanos *veſtitu* viridi, *niſi qui* genus ſuum ad Mahumedem referunt, *ac præſertim aliis, extra hos,* viride *capiti* tegumentum *adhibe-*

re,

re, piaculum fuerit. apud *Jo. de* LAET in *deſcriptione Perſiæ* p. 25. Forte huc etiam reſpexit R. ABRAHAM in *faſciculo myrrhæ* de coloribus *iridis* noſtræ ſcribens, quod color *albus* ſignificaverit *gratiam*, vel *benefaciendi* ſtudium Abrahami, *ruber timorem Iſaaci*, & *viridis* in medio colorum *Jacobum*, de quo ſcriptum: *habitans tentoria*, docente RODOLPHI §. XXIII. n. IV. Longe alia tamen hujus coloris conditio erat apud *Græcos* & *Romanos*, apud quos Viri pauperiores, imo mulieres delicatæ & meretrices, veſtimentis talibus uti ſolebant. vid. Ill. BARTHIUS ad CLAUDIAN. p. 1203.

§. VII. Interim cum ſecundum hanc hypotheſin plures *iridis* colores unam eandemque rem, etiam alia ratione in eodem ſymbolo jam depictam, adumbraverint, alii Interpretes novam viam merito ingreſſi ſunt. Num vero magis feliciter, lector cordatus ipſe judicet. Quidam ad *Sacerdotium Chriſti* colores illos referunt, v. g. *Bernh. van* SANDEN loc. cit. p. 36. „*tres* in *iride* apparent colores, *rubicundus*, *viridis* & „*aqueus* color, qui ita inter ſe miſcentur, ut ſingularem huic „ſigno fœderis concilient *pulchritudinem* Gen. IX. 1. Eam „commode dicere poſſumus eſſe *typum Sacerdotis excelſioris* „N. T. Chriſti, inter cœlum & terram conſtituti. Nam & tunc „in ipſius corpore ſpectabatur *rubicundus* & *aquoſus* color, cum „ex ejus latere aperto fluerent *aqua* & *ſanguis*, quibus acceſ„ſit *viridis* color: ex paſſione enim, crucifixione & morte „Chriſti ſalus univerſo mundo *vireſcere incepit* Jeſ. LIII. 11.„ Idem innuit *Jo. Chriſtoph.* HARENBERGIUS, Vir eruditisſimus, obſervans, figuram Ezechieli I. 27. 28. oblatam repræſentaſſe Chriſtum, *Sacerdotem ſummum*, lumbos *iride* cinctum, ut balthei colores exprimantur, quos omnino enumeratos illos fuiſſe ſatis novimus. *Gratiæ* tamen *divinæ* ſymbolum *iridem* fuiſſe, idem Vir doctus largitur. Atque hæc ſen-

tentia

tentia poſterior expoſitio eſt fere communis, quam Theologi veteres & recentiores ſedulo inculcaverunt, unde *Campeg.* VITRINGA, *Theoph.* AMELIUS, & *Wilb. Ern.* EWALDUS eandem ſequuntur. Sicuti enim color *ruber juſtitiæ, ſanctitatis & ſeveritatis* Dei, ita *viridis*, ei ex directo oppoſitus, *clementiam & gratiam* adumbrare debet. Vel ut Illuſtr. GROTIUS ſcribit: *tres* iridis *colores*, ruber, *igneus* & viridis, *Dei* ſeveritatem, clementiam & beneficentiam *ſignificarunt.* Add. *Frid.* LEHNHOFFS Ketten der Bibliſchen Gott-Gelahrtheit cap. XI. p. m. 70. & *Dan.* SACHSENS Geheimniß-Predigten p. 130. ſqq. edit. noviſſimæ.

§. VIII. Atque hæc cogitata ſicuti ſane egregia, pia, neque ſcopo Spiritus Sancti plane incongrua ſunt, ita ea minime reprobanda judicamus. Cum tamen plures Meſſiæ virtutes ſub tot *iridis* coloribus depictas exiſtimemus, & præterea *arcus* ille cœleſtis ſingularem & proximam ad Dominum Meſſiam relationem habeat, nos in timore Domini myſterium illud altius meditantes, in coloribus illis, quorum *ſex* diſtincte conſpicuos eſſe, ſupra §. VII. vidimus, *ſex Meſſiæ qualitates* læti deprehendimus, Spiritum videlicet *ſapientiæ, prudentiæ, conſilii, roboris, cognitionis* & *timoris Jehovæ***. Jeſ. XI. 2. Horum *tres* priores, *cæruleus*, & duo cognati, *violaceus* & *indicus*, *ſapientiam, prudentiam* & *conſilium*, *tres* poſteriores, *ruber, aureus*, & *viridis*, reliquas, *robur, cognitionem* & *timorem Dei* noſtro judicio adumbrarunt. *Cæruleus* color cum cognatis quam commode ſymbolum *ſapientiæ, prudentiæ* & *conſilii* eſſe queat, ex collatione Exod. XXIV. 10. & Apoc. IV. 6. facile diſcimus. Pavimentum enim, quod ibi memoratur, *pellucidum*, inſtar *cryſtalli* vel *maris vitrei*, hoc eſt, aquarum conſiſtentium, qui-

D bus

** has virtutes Kabbaliſtæ ad *Meſſiam* Regem diſerte applicant apud VITRINGAM *obſerv. Sacr.* diſſ. II. lib. I. cap. III. §§. III-IV.

bus æque ac ætheri color *cæruleus* tribui ſolet, eſt emblema voluntatis divinæ *ſapientiſſimæ*, in erigendo regno gratiæ demonſtratæ, quam *Campeg.* VITRINGA *claram*, *certis argumentis liquido demonſtratam ac illuſtratam, atque ab omnibus veris regni Dei ſubditis cognitam & perſpectam merito* appellat. Apud gentiles ſi quis in *navigationibus* rem ſuam *ſapienter* egiſſet & *feliciter*, vela non modo *alba*, ſed etiam *cærulea* obtinuit, quale *cæruleum* AUGUSTUS AGRIPPÆ obtulit, teſte DIONE apud celeb. *Jo. Chr.* WICHMANSHAUSEN diſſert. de *navi Tyria* Ezech. XXVII. 4-6. p. 48. Poſteriores colores quod attinet, eorum de veritate ſymbolica nullus facile dubitabit; *rubrum* enim colorem in veſtimentis Heroum conſpicuum fuiſſe, ex exemplo MASISTII, illuſtriſſimi *Perſarum Ducis*, paludamento *rubro* induti, apud HERODOTUM, & aliunde ſatis conſtat. vid. BARTHIUS animadv. ad CLAUDIAN. p. 30. VITRINGA ad *Apoc.* IX. 20. URSINUS *analect.* Part. I. p. 203. & RELANDUS *diſſert. miſc.* Part. III. p. 70. *Aurum* emblema eſſe *cognitionis* & *ſapientiæ*, in meditatione de *lamina aurea Pontificis M. ejusque myſterio* p. 9. jam ante aliquot annos docuimus. Denique color *viridis* quam apte ſtudium *ſanctitatis* ac *timorem Domini* depingat, ejus ex uſu & pretio apud Orientales optime diſcimus, conf. verba LEONCLAVII § VI. jam adducta. *Nimbum* ſimiliter apud veteres emblema *pietatis* fuiſſe, ex nummis ipſorum evidenter apparet. vid. *Laur.* BEGERUS tom. II. *theſauri Brandenburg.* f. 847.

§. IX. Objici quidem nobis poſſet, qualitates *Meſſiæ* apud Jeſaiam non *ſex*, ſed *ſeptem* memorari, ſicuti cum *Paraphraſte Chaldæo Campeg.* VITRINGA aliique Interpretes totidem enumerarunt. Idem ex veteribus fecit *Rupertus* Abbas, *ſeptem* columbarum proprietates cum *ſeptem* Spiritus Sancti *donis* ac *virtutibus*, a Jeſaia noſtro commemoratis, comparans in

comm.

comm. ad Cantic.I. ex quo integra ipſius verba adduxit *Jo. Andr.* SCHMIDIUS diſſert. de *columbis in Eccleſia græca & latina uſitatis* p.14. Addatur *Magnus Daniel* OMEIS comm. de *numero ſeptenario, hujusque Sanctitate &c.* p.15. ſq. Verum noſtro quidem judicio *ſex* tantum *dona* ibi recenſentur, & primum prædicatum tanquam *fontem* communicationis Spiritus S. accentuatio a reliquis ſex tanquam ejus *effectibus* fortius ſejungit. Præterea *Spiritus Jehovæ* ſeparatim a donis ejus non ſine ratione commemoratur, quoniam nimirum non modo poſſeſſor eſſe debebat donorum, ſed etiam propter ipſius perſonæ Spiritus Sancti intimam cum Jehovah tam in eſſentia, quam in opere ipſo unionem. Uberius autem *numerum* hunc *ſenarium* contra VITRINGAM, pro numero *ſeptenario* cum aliis pugnantem, fortiter defendit, & *Spiritum Jehovæ* non eſſe *Spiritum prophetiæ*, ſub nomine *conſilii* jam involutum, nec adeo illuſtre donum, ut tanquam reliquis longe excellentius in capite poneretur, erudite evicit B. LAMPIUS cap. VIII. de *Spiritu Sancto*. §. XXII. ſqq. Conſentientes habemus Doctores Eccleſiæ *Judaicæ* antiquos, qui Meſſiam בעל שש ברכות *poſſeſſorem ſex benedictionum* ex hoc dicto appellatum fuiſſe ſcribunt in *Bammidbar Rabbah* f. 253. & in *Jalkut* P. 2. f. 17. d. Meſſiam *ſextupla benedictione donatum* memorant, obſervante Ven. *Chriſt. Bened.* MICHAELIS diſſ. de *nominibus Chriſti, humanam ejus naturam deſignantibus* p. 19. Apud Veteres numerum *ſenarium* fuiſſe *perfectum*, maximi ponderis & ſummæ auctoritatis, variis ex teſtimoniis probatum dedit *Steph. le* MOYNE, Vir celeberrimus, in *Variis Sacris* tom. II. p. 866. add. Ill. Vir *Petr. Dan.* HUETIUS in *demonſtr. euang.* p. 266. ſq. ***

*** Similiter BONIFACIUS VIII. Pontifex Romanus, in numero librorum *decretalium ſenario* myſterium *perfectionis* poſuit. vid. B. LAMPIUS *Hiſt. Eccl.* lib. II. cap. X. §. 38. p. m. 268.

§. X. *Apparitio arcus* cœleſtis *apprime* depingebat *adventum Meſſiæ*, *Solis juſtitiæ* Malach. IV. 2. *Orientis ex alto* Luc. I. 78. qui tot charismatibus divinis conſpicuus Eccleſiæ N. T. *gratia* & *auxilio* ſuo ſemper præſto foret, populumque ſuum *ſapientia*, *timore Domini*, reliquisque donis a ſe expectandis largiſſime inſtructurus eſſet. Neque tempore afflictionum prorſus ceſſatura ſigna gratiæ illius pollicetur, ſicuti *iridem* aliquando etiam *noctu* conſpici, ſupra Sect. I. §. V. vidimus; imo *iridem* plane *pallidam* a Sole in tenuiſſima nive prognatam ſibi viſam fuiſſe, teſtatur Cl. *Jo. Joach.* LANGIUS Part. III. *elem. philoſ.* cap. II. § 70. quod tempus *nocturnum* eſſe emblema temporum *malorum*, ecquis ignorat? Ejusdem naturæ eſſe ſymbolum *nivis*, in diſſert. noſtra de *nive*, *ejusque uſu antiquo & emblemate* ſub finem Sectionis II. luculenter oſtendimus. Talis promiſſio divina extat Pſ. CXXI. 6. *interdiu Sol non aduret* te, *nec luna noctu*, ſcilicet *refrigerabit*, ut optime ſupplet magnus BOCHARTVS *hieroz.* Part. I. lib. II. cap. XLIV. f. 452. alludi enim videtur ad acerbos *roris noxii* humores, qui apud orientales tempore *noctis* in plenilunio copioſiores eſſe ſolent, atque non minus nocent ac ardores Solis, ſub dio ſuſtinendi, unde Judæi inter *rorem benedictionis & maledictionis* in *Sota* cap. IX. m. 12. bene diſtinguunt; vid. quæ de *rore* hoc *nocivo* Ill. *Frid.* HOFFMANNUS, B. COSCHWIZIUS aliique jam obſervarunt, & qui eos laudavit, *Petrus de* HASE diſſert. de *rore myſtico, caput & cincinnos Sponſi opplente* Cantic. v. 2 Part. I. p. 18. ſub præſidio B. LAMPII Ultrajecti 1727. † Plura de *myſterio iridis* addere non lubet, in ſcriptis aliorum facile obvia, ne cramben toties recoctam apponere cogamur.

F I N I S.

SUB-

† quoad rem ipſam breviter, ſed docte, ad hunc locum diſſeruit *Theoph.* AMELIUS ad *loca difficil. V. T.* tom. II. p. 986. ſq.

SUBNEXA RESPONDENTIS.

1.

Linguam græcam ex veteri Germanica originem traxiſſe ſuam, veri ſimillimum eſt.

2.

Diabolus miracula patrare non poteſt.

3.

Omnis Spiritus præter Deum cum corpore eſt connexus.

4.

Bona opera nec antecedunt, nec concomitantur, ſed conſequuntur Sanctificationem.

5.

Hic mundus eſt optimus.

6.

Deus in viris a Spiritu Sancto inſpiratis operatus eſt quidem ſupernaturaliter, ſed ita tamen, ut eorum genio ſe accommodaverit.

7.

Henochum quoad *animam* & *corpus* in cœlos ſublatum fuiſſe, quidam male negant. conſ. *Biblioth. Anglic.* tom. XI. Part. I. art. VIII. & *Diurna Halenſia* n. XXVI. A. MDCCXXXIX.

8.

In baptiſmo ſola *aqua pura* adhiberi debet.

9.

Sicuti in S. cœna nonniſi panis & vinum.

10.

Jeſ. XLII. 3. ad lychnuchum aureum reſpici, cum *Jo. Henr.* MAJO aliisque judicamus.

NOBILISSIMO RESPONDENTI, AUDITORI IN PAUCIS SIBI CARISSIMO, PRÆSES.

IRis *cœleſtis*, varios induta colores,
Quam DEUS omnipotens tempore diluvii
Nubibus in pluviis poſuit, quo teſtis *amoris*
Eſſet perpetui, *juſtitiæque* ſacræ:
Quam pulchre fuerit *Meſſiæ Principis* Εικων,
Lectorem cupidum pagina noſtra docet.
Hæc defenſurus dum fundis mellea verba,
Teſtes ingenii, judiciique Tui,
Gratulor ex animo, docti ſpes optima cœtus,
DUNKELI! patriæ gloria certa Tuæ.

QUid valeat ſtudium, quid nox ſudoribus acta,
Nobis commonſtras ſedulitate Tua;
Præſide SCHLICHTERO, dum ſcandis, *Amice*, cathedram,
Iridis æthereæ ſymbola rite doces;
Ac hinc quæ poſſint *emblemata* myſtica duci,
Scrutaris ſolide, commemorasque pie.

Gratu-

Gratulor inde TIBI, DUNKELI, pectore toto,
Conatus, opto, proſperet ipſe DEUS,
Atque addat ſtimulum, quo pergas ſacra diurna
Nocturnaque frequens volvere ſcripta manu.
Gloria digna TIBI dabitur, condigna dabuntur
Præmia, quæ pietas, ingeniumque merent.

Hæc ex ſincero animi adfectu gratulabundus adſcripſit

JOH. ANDREAS FRICKE,
Hartzgeroda-Anhalt.
S. S. Theol. Cult. Oppon. ordin.

Was jenes Wunderſpiel, der Regenbogen, war,
Stellt uns Herrn Schlichters Schrifft gelehrt und bündig dar,
Sein Auge bleibet nicht an äußern Farben hangen,
Die die befeuchte Lufft vom Sonnenlicht empfangen:
O nein, hie wird dem Sinn des Geiſtes nachgeſpührt,
Der zu dem Gegenbild, dem Mittler, Chriſtus, führt.
Hiebey wirſt Du, mein Freund, mit aufs Catheder ſteigen,
Und uns von Deinem Fleiß beliebte Proben zeigen:
Ich wünſche Glück dazu, und lobe Dein Bemühn,
Der Höchſte laße Dich an Ruhm und Seegen blühn.

In Aufrichtigkeit ſetzet dieſes zum unvergeßlichen Andencken bey

H. G. PAULI, Brunſvic.
S. S. Theol. St. & Oppon. ordin.

Schließe

Schließe, Pallas, deine Schätze Deinem Dunckel
weiter auf,
Führe Ihn ins Feld der Weiſen, fördre ſeines Fleißes
Lauff,
Leite Ihn bey deiner Hand, laß Ihn in die Tieffen ſchauen,
Denn mir deucht, ich ſeh' Ihn ſchon deinen Tempel höher
bauen.
Liebſter Freund! Dein gründlich Wiſſen iſt des Fleißes
erſter Lohn,
Und die Liebe Deiner Lehrer trägt Dein Eiffer auch
davon;
In dem Alter wird man Dir Lob- und Ehren-Kräntze
winden;
Laß Dich auch alsdann von mir in der Freundſchafft
dauernd finden.

Carl Ludewig MUZELIUS,
Berol. S. S. Th. St. Oppon. Ord.